



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XXIII. De Officio Archi-Diaconi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULUS XXIII.

De Officio Archi-Diaconi.

QUÆRES. 1. Quis sit Archi-Diaconus, & quodnam ejus officium? Resp. Archi-Diaconus quasi primus inter Diaconos dicitur, cum primis Apostolorum temporibus coepit, ut ex Act. cap. 6. Phil. 1. & 1. Tim. 3. constat, ejus officium olim erat, quod primam post episcopum dignitatem habens, in totum clerum jurisdictionem exerceret, diœcesin visitando, ordinandos examinando, beneficiatos investiendo &c. cap. 6. & 9. hanc ita ut propterea oculus Episcopi nominari consueverit, cap. 7. h. 1. hodie mutato statu in quibusdam ecclesiis nomen retinuit, sed serè ubique dignitatem & Jurisdictionem amisit. In iis autem ecclesiis, ubi dignitas archidiaconatus adhuc viget, agnoscendum ejus officium, cujusque ecclesie consuetudo inspicienda erit. Quæ sicut olim ita & hodie varia est, & multiplex, in quibusdam enim ecclesiis, nullus est archidiaconus, sed ejus officium subit Archipresbyter, Vicarius generalis vel officialis. in aliquibus est quidem Archidiaconus, qui tamen præminentiam tantum inter Canonicos habet, Jurisdictionem verò vel administrationem caret, in aliis jurisdictionem in clericos & parochias civitatis episcopalis, ac certum diœceseos districtum exercet; ut adeò in cognoscendo Archidiaconi officio, non jus scriptum, sed speciales ecclesiarum consuetudines, sint inspiciendæ.

QUÆRES
no

QUÆRES 2. Cum tam vicarius generalis quam Archidiaconus vices Episcopi in foro contentioso gerant, quomodo eorum officia ab invicem distinguantur? Respond. inter Vicarium generalem, & Archidiaconum triplex potissimum intercedit differentia. 1. Quod Archidiaconus sit Vicarius Episcopi natus, cum officium Vicariatus sit ejus dignitati annexum, ideoque ipso jure est Episcopi Vicarius, cui nequit jurisdictio auferri; Vicarius autem generalis sit datus ab homine videlicet ab Episcopo, adeoque temporalis sit, non perpetuus. 2. Quod Jurisdictio Archidiaconi directè & immediatè proveniat à lege sive canone, mediatè autem ab homine scilicet Episcopo, mediante confirmatione Archidiacono Jurisdictionem ordinariam concedente; Jurisdictio autem Vicarii immediatè veniat ab Episcopo Vicarium generalem nominante, mediatè autem à Canone, quo jus & facultas indulgetur Episcopo, Vicarium assumendi. 3. Quod ab Archidiacono appelletur ad Episcopum *cap. 7. de præbend.* non item à Vicario generali. *cap. 2. de consuetud. in 6.* Cujus ratio est, quod Episcopus ejusque generalis Vicarius unum idemque tribunal habeant; Archidiaconus verò propriam habeat jurisdictionem licet inferiorem, & Episcopo subordinatam. *Marant. de ord. judic. pag. 4. dis 5. num. 51. Host. in summ. de offic. Vicar. num. 2.*

QUÆRES 3. Quid Jure novissimo Concilii Tridentini circa Archidiaconorum officium sive Jurisdictionem fuerit immutatum? Respond. Hæc duo immutata esse. 1. Quod olim visitatio certarum ecclesiarum ipsis competierit, hodiè verò non nisi de consensu Episcopi visitare possint, quibus

bus Episcopi certum terminum pro expediendâ visitatione præfigere, & concitatam præscribere possunt, ne oneri sint Ecclesiis quas visitant, *Trid. sess. 24. cap. 3. de reform. 2.* Quod Jure comuni aliàs ad Archidiaconi officium spectaverit ordinandos examinare. *cap. 4. b. t. can. 1. dist. 25.* hodiè autem promovendi ad ecclesias parochiales, per deputatos ab Episcopo examinandi erunt. *Trid. sess. cit. c. 18.*

TITULUS XXIV.

De

Officio Archi-Presbyteri.

QUÆRES I. Quodnam sit Archipresbyteri Officium? Respond. Archipresbyteri in dicti, quod esset quasi princeps sive primus sacerdotum & reliquis Presbyteris, in iis quæ sacerdotalis erant officii, præset, officium spectato jure communi est, vices absentis Episcopi supplere; vel etiam præsentem in officio Sacerdotali supplere; in specie autem ad munus illius pertinet, super omnes reliquos presbyteros curam animarum gerere, cum sit quasi eorum dux & Decanus, assidue, id est, horis competentibus in ecclesiâ stare, pro episcopo absente missarum sollemnia celebrare. sacerdotes curam animarum habentes officii sui monere, beneficiatos sedulæ diligentia in cantando officio divino hortari, absente episcopo fontes benedicere, infirmos inungere, pœnitentes sollemniter reconciliare, &c. Quæ omnia in *cap. 1. 2. § 3. b. t. invenies.* Licet autem olim Archipresbyteri Archidiaconi quoad dignitatem & jurisdictionem